

mansurus, et sine fine regnaturus introire meruit. A
 Morum igitur supradictorum sanctorum corpora in
 " una eademque cellula haud procul ab altari sancti-
 sime virginis Eulaliæ honorifice tumulata quies-
 cunt: ad quorum denique veneranda sepulcra tan-
 tam Christus quotidie confert copiosæ charitatis
 gratiam, ut quacunq; fuerit quispiam ægritudine
 convexatus, quocunq; fuerit etiam languore affli-
 ctus; statim ut divinum Numen illic toto corde de-
 poposcerit, omnes a se morbos discussos omnesque
 maculas pulsas divinitus sentiens hilaris sanisque
 ad cupiam per Dei gratiam pervenit sanitatem.
 Quantitatem scilicet miraculorum obituumque simul
 impeditus, ut potuit, sermo Christi militum enarra-
 vit, qui quamlibet ex colore nimio peritis imperite

* In una eademque cellula, etc. Patrum (ut creditur)
 horum Emeritensium sanctitate illustrium corpora,
 quæ una quiescebant non longe ab altari B. V. Eu-
 laliæ sacro, inventa fuerunt regum catholicorum
 tempore, ut non semel testatur Moral. lib. et cap.
 10, et l. b. xii, cap. 22.

Ex hoc libelli fine, vitæ etiam Pauli finis eliciendus
 indubie est. In Renovato quiescente Paulus quiescit.
 Renovato, cum per plurimos annos irreprehensibiliter
 rexisset Ecclesiam, teste ipso Paulo, successit ille
 qui in concilio Toletano IV. Stephanus Ecclesiæ Eme-

displiceat, omissa pompa verborum humiliter sen-
 tientes, credentesque nobilitat, et quoddam emolu-
 mentum bonæ mercedis legentibus audientibusque
 accumulatur. Ego autem humilissimus omnium a fasti-
 diosis lectoribus precor, ut legant prius hujus codicis
 opuscula, et postea despiciant; ne videantur non ex
 iudicio, sed ex odio præsumere, et ignorata damna-
 re; illud tamen manifestissime cognoscant, nê a-
 more Christi et dilectione sanctissimæ Eulaliæ im-
 pulsus, ut scriberem, manifesta retulisse, vera pro-
 culdubio veraciter exposuisse. Uni in Trinitate
 Domino semper manenti, regnantique pereuniter
 gloria, honor, fortitudo, gratiarum actio, virtus,
 potestas et benedictio nunc et semper, et in sæcula
 sæculorum. Amen.

B
 ritensis metropolitanus episcopus subscripsit. Conci-
 lium habitum est ær. 571, regnante Sisenando. Pau-
 lum circa hæc tempora obiisse non difficile com-
 probavimus, si Renovati jam mortui mentionem ab
 illo factam animadverterimus. Vivebat itaque vivente
 Stephano Renovati successore, cujus fortasse non
 meminit, quia vivebat. Stephanum Paulo supervixisse
 etiam palam est, cum scriptionem suam Paulus Ro-
 novati morte (ut notum est) clausisset, aliter facturum,
 si Stephanus in vivis adhuc non esset. Sed de his ad
 Francisc. Padill. cent. vii hist. Eccles. Hisp., cap. 17.

AOSPASMATION DE REBUS EMERITENSIBUS

EX HISPANIA ANTIQUA D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS, HISTORIOGRAPHI REGII.

FAMA. MANET. FORTVNA. PERIT. CINIS. IPSE. IACENTIS.
 VISITVR. ET. TVMVLQ. EST. NVNC. QVOQVE. SACRA. SVO.
 EXIGVA. INGENTIS. RETINET. VESTIGIA. FAMÆ.
 ET. MAGNVM. INFELIX. NIL. NI. I. NOMEN. HABET.

(Ex antiqua inscriptione.)

Epistola dedicatoria.

Illustrissimo domino D. Fredenando de Vera et Vargas, archiepiscopo S. Dominici episcopo
 Cuzcensi, catholici regis consiliario.

Antiquæ Emeritæ laudes, cui potius consecrandæ dicandæque erant a me L. M. quam tibi, illustriss. Præsal,
 qui illius optima et clarissima laus olim benevolentia fuisti, æternum fama eris; illa, cum in ipso ætatis flore
 princeps ipsius senatus vexillifer Emeritam fueris tutatus, hac, cum tuorum tot meritorum gloria Emeritense
 nomen ubique celebretur? Tibi, inquam, quem ob unum magnæ illius urbis potest si non exstingui, certe deside-
 rium remitti. Nam si antiquitatem et originis præstantiam in illa veneramur, utriusque in te contemplamur
 imaginem, cum ab ipsis imp. Romanis, quibus VERI cognomen obiigit, et ab heroe illo nostro GARCIA PEREZ
 DE VARGAS tot illustrium in Hispania familiarum auctore, trahas stemmatum vetustatem et generis claritudinem.
 Si priscorum monumentorum ruinam in illa dolemus, in tuo illa doctrinarum omnium capacissimo pectore
 revivisse, in tua perdurasse mente rerum omnium ad miraculum secundissima cognoscemus. Si antistites
 pietate, duces belli solertia, scriptores eruditione, et viros alios animi magnitudine præstantes Emerita potest
 iactare, te etiam jactet necesse est, cujus religionem tam Occidui quam Evi orbis Ecclesiæ prædicant; cujus

. Ingenium et rerum prudentia velox
 Ante pilos

non probata solum ipsis Emeritensibus, quorum tu aliquando

. Pars magna senatus,

fuit, sed etiam maritimæ Compostellani tractus oræ, ubi consilium tuum,

. Animusque victisim

Aut curam impendit populis, aut otia mæsis.

Cujus doctrina ita supra omnes omnibus nota est, ut nihil in universo encyclopædiæ regno Musarum sub manu æ-
 ditione sit, quod tibi non item pareat communi consensu eruditorum; quos tanto honore et amore prosequeris,
 ut effusis omnibus affectus et humanitatis copiis quem cujuscunque eruditionis nota insignierit, ultro quæras,
 perurbane excipias, nunquam sine honesto miræ liberalitatis congiario, tuæ benevolentia pignore dimittas.
 Aurum et invidendum aliis tui ordinis proceribus exemplum, te, etiam cum minus posses, in literatos, subæ-

quente animum eventu, omnia posse. Denique (ut cuncta generosi pectoris tui decora verbo comprehendam. is es,

Qui excelsum generis nomen virtutibus æquas
Nec sinis ingenium nobilitate premi.

Verum ut hæc tibi merito debita, Fredenande clarissime et amicissime a me præsertim sunt; in quem tot tua singillatim merita exstant, ut omnem certe frontem ultrivisse opportune censerer, si illa situ quodam improbæ oblivio is pateret obsolescere, nec quocunque grati animi libamento genii tui humanitatem propitiorem. Itaque cum tantis nominibus tibi me obstructum sentiam, ut parva facere nequaquam possim, illud saltem omni contentione enitendum puto, ne in tanto ære conturbasse, et gratitudinis solum vertisse videar, gratamque tot beneficiorum memoriam, dum officiorum (Deus brevi concessit) meditamur redhostimentum, æquæ bonique consulas etiam atque velim.

Interim Deum immortalem veneror, qui te tuis, patriæ, amicis, nobis incolumem brevi reddat, et quæm reip. causa abeuntem incredibili dolore sumus prosecuti, redeuntem, ut debitis in illa honoribus fungaris, pari lætitia excipiamus.

INCIPIT AOSPASMATION.

Eruditus et antiquitatis studiosus aliquod operæ pretium me facturum sum arbitratus, si Paulum, qui res Emeritenses ante 1000 annos litteris consignavit, illustraturus, nonnulla quæ ad Emeritæ urbis et Ecclesiæ antiquitatem et præstantiam spectent, hic quasi in tabella, studioso brevitate compendio, nullo veritatis dispendio, nec obvia, nec inutilia ex Hispania antiqua, quam ærumnabili labore ex antiquis paro, repræsentem.

Emeritæ ipsi qui condende occasionem præbuerunt, nomen etiam indiderunt. Dio, lib. LIII, cum retulisset Augustum in Hispaniam venisse Cantabris rebellantibus et Asturibus, et adversus illos Antistinum ducem, cum in morbum Tarracone incidisset, statim misisse, subdit, *πανσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὐγούστος τοὺς μὲν ἀπληκιστέροους τῶν στρατιωτῶν ἀπέχε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανία τὴν Ἀγούστου Ἡσπέρταν καλουμένην κτίσαι ἔδωκε. Finito hoc bello Augustus emeritos milites exauctoravit, urbemque eos in Lusitania Augustam Emeritam nomine, condere iussit.* Anno nimirum post Romam conditam 728, ante Christum natum tertio et vicesimo Augusto Cæsare nonum consule cum M. Sifano.

Ex eo Isidorus noster lib. xv Orig. c. 4. *Emeritam Cæsar Augustus ædificavit, postquam Lusitaniam et quasdam Oceanus insulas cepit, dans ei nomen ab eo quod illi milites veteranos constitueret. Nam emeriti dicuntur vetera i, solutique militia.* Utrumque verum, nam teste Suida, *Βετεράνης παρὰ Ῥωμαίους ὁ ἀπολυθείς τῆς στρατείας. Veteranus Romanus dicitur, qui solutus est militia.* Quo reciunt Glossæ veteres, in quibus emeritus ἀπολιτουργίας ἢ ἀποστρατησόμενος, nec non ἔντιμος κατὰ στρατιωτικὸς καμάρους: ex more nimirum militiæ Romanæ, in qua et præmio et emerito donabantur veterani. Præmium pecuniæ, emeritum agrorum largitione censebatur. De præmio Tacit. i Ann. in seditiosa illa Percennii oratione, *Sextus decimus stipendii annus fines afferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solveretur.* De emerito Modestinus jurisconsultus in de Re mil., *Veteranus emerita accipiet.... emerito privatur.* Hygenus Aug. lib. de Limit. constit. : *Erat tunc præmium terra et pro emerito habebatur.* De utroque Arius Menander jurisconsultus v, § fin. D, eod. tit., *Veteranus et præmia et emeritum capit;* nempe veterum justæ militiæ commoda, ut appellat Sueton. in Vitell. cap. 15. Nam Emeritus emerito et præmio fruebatur, et ut commodius viveret

Fessus in acceptos miles deducitur agros,

* Eadem Jo. Gerundensis episc. cap. 20. *Παρολιπομεν.* Hispaniæ, sed suo more multa interserens non vera.

^b Ex verissima magni viri Ant. Augustini supputatione, dialog. de Numm., quam videtur secutus Joan. Mariana, lib. iii de Rebus Hispanicis, c. 25, et G. Genebrardus, lib. ii Chron. Jac. vero Salianus, tom. vi Ann. anno ante Christum 24, hoc est mundi

A ut ait Ovid. ii Amor., eleg. 9, upde votum Cæsaris apud Lucanum nostrum, ingentis spiritus vatem, ad milites vii Pharsal.

Hæc est illa dies. . . .

. . . . Quæ pignora, quæque penates

Reddat, et emerito faciat vos Marte colon s.

Distinctius I :

Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? Quæ mœnia fessis?

Sic Augustus apud Sueton. xiii : *Veteranos in Italiam reducendos, et municipalibus agris collocandos censuit.* Non absimiliter in Hispania agros veteranis et emeritis dedit. Signanter numisma antiquum apud A. Occonem inter Hispan. inscriptiones, fol. 20, 3 : *EMERITA AVGVSTA VETERANORVM DOMICILIVM*; ex iis illis nomen. Emerita Antonino, sed una cum suo, nam Ptolemæo et Straboni *Αγούστα ἀκίρητα*, Plinio et Melæ *Augusta Emerita*. Utrumque in nummis, nam in aliis effligiem Augusti circumdant litteræ *IMP. CÆSAR. AVGVST. et in medio ædificii e murorum portarumque EMERITA.* Nec non ex una parte facies cum litteris *PERMISSV. CÆSARIS AVG. et in aversa jugum boum pone sequente colono cum scuta, et inferius EMERITA, in aliis vero ad effligiem CÆSAR. AVGVSTVS. PONT. MAX. IMP. et circa muros et portas, AVGVSTA. EMERITA. COL. Nec aliter in nummo Tiberii huic simillimo, hinc *TI. CÆSAR AVGVSTVS. PONT. MAX. IMP. illinc AVGVSTA. EMERITA.* Sic in lapidibus, quos suo loco subjiciam. Hoc ergo nomine coloniam deductam esse ex iis nummis constat, et aliis apud Goltzium in Thes. Prudentius distinctius,*

Nunc locus Emerita est
Clara colonia Vettoniæ.

Plinius iv, c. 13 : *Coloniæ, Augusta Emerita.* Cujus deducendæ constituendæque curam P. Carisio legato prætori demandatam indicio nummi sunt, ex altera parte Augusti, ex altera Carisii et Emeritæ nominibus expressis, nimirum *IMP. CÆSAR. AVGVST. EMERITA. P. CARISIVS. LEG. PR. PR.* Habes veram Emeritæ conditæ, et inditi illi nominis causam utriusque non solum honorificam, sed etiam satis antiquam. Sunt qui antiquiorem velint et aliunde petitam; ut Tariphio Abentaquirius Arabs, a Michaelæ de Luna ex Arabico et litus (anne, ut multis placet, fictus?) part. ii excidii Hispan., ubi Emeritam perplexo verborum male coherentium ambitu describit, a Sem Tophailo Japheti filio, Noachi nepote, erectam urbem MORAT, quæ Chaldaice oppidum maximi capitis sonat, quam postea Christiani in *Meridam* corruerunt, inutiliter comminiscitur; ut Didacus de Valera, qui cap. 2, part. ii hist.

4029, datam Emeritam militibus emeritis ab Augusto ait, sed illius constructionem sequenti anno a Dione assignari, 23 nempe ante Christum natum.

* Insignia, quibus Emerita hodie utitur, antiquissimas nummorum formas videntur representare, cum mœnibus et portis sint ornata. Illa habes discurs. 24 de Nobilit. apud Barnabam Moren. de Vargas Emeritens.

Hisp. ab Hercule victo Geryone conditam, et Franc. A Tarapha, qui vel a Myrmidonibus exstructam et nominatam, vel in Herculis memoriam tanquam *Memoridam* dictam suo more solens somniat. Verum hoc vigilantium somnia et nugæ nugacissimæ, quas prudens præterissem, nisi veris rerum magnarum argumentis semper fabulas solitas inservire in ipsius magnitudinis testimonium non ignoraverim. Redeo iterum Emeritam. Quæ apud quas in Hispania gentes, si scriptorum veterum varietatem spectemus, sita fuerit, nondum liquet. Ptolemæus lib. II, cap. 5, inter *Celticorum* urbes collocat; Strabo, lib. III in *Turdulis*; Hygenus Aug. lib. in *Beturia*; Prudentius in *Vettonia*; nemine tamen dissentiente, nam temporum mutatione provinciæ sunt septennumero mutatae. Quæ causa (teste Plinio cap. 4, lib. III) *magnos errores computationi mensuræ sæpius parit, ubi mutato provinciarum modo, alibi iterum auctis et diminutis passibus; incubuere maria tam longæ ævo, alibi pressere littora, torsere se et fluminum aut correxere flexus.* Proinde non erit mirum (notante Cl. amico nostro, et de Hispania optime, si quis alius, merito Lud. Nonio cap. 31 Hisp.) *Strabonis tempestate, qui sub Tiberio Cæsare floruit, Turdulos viribus opibusque claruisse; Prudentii vero ævo, qui sub Theodosio, Arcadio et Honorio vixit, Vettones superiores fuisse, partemque Turdulorum agri occupasse, atque ita EMERITAM inter Vettones annumeratam, cum prius inter Turdulos esset.* De *Beturia* apud Hygenum facilis enodatio ex Plinio lib. III, cap. 4: *Quæ regio a Bæti ad fl. Anam tenet extra prædicta Bæturia appellatur in duas divisa partes totidemque gentes; Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispanensis conventus; Turdulos, qui Lusitaniam et Tarraconem accolunt, jura Cordubam petunt.* His conjungit Vettones lib. IV, cap. 22, *Ab Ana, quo Lusitaniam a Bætica discrevimus, cccxvi m pass. A Gadibus cii m passibus additis. Gentes, Celtici, Turduli (sic in mss. antiquis, non Varduli) et circa Tagum Vettones.* Unde in lapidibus non semel una leguntur. Emeritæ

P. ÆNOVITALVS
AVG. LIB. TABVL.
PROVINCIE. LVSITANIÆ
ET. VETTONIÆ.

Hispani


M. CALPVRNIO. M. F.
PROC. PROVINCIÆ
LVSITANIÆ. ET. VETTONIÆ.

et alibi alii, qui Prudentio *Vettoniæ* Emeritam tribuenti servant elucidando; etiamsi Emeritenses a *Vettonibus* videatur distinguere lapis aius in pago *Oliva* ex ruinis *Capparensibus*

L. PVBLICIO. L. F. PAP. THIANVS. EMERIT.
ANN. XXVII N.S.E.S..T.T.L. CÆCILIVS. VETTO
SODALI. CIPPVM
D. S. P.

Cunctis honoribus a Romanis auctam semper Emeritam fuisse ipsi in illam collati honores testantur. Ut commodius colonia deduceretur liberali largitione ab Augusto jugera Emeritensibus plura assignantur. Hygenus distinctissime de limit. constit., fol. 164, edit. Rigaltianæ: *Modum autem Centurii quidam secundum agri amplitudinem deducunt. In Italia triumviri jugerum quinquagenum, alicubi ducentum. Cremonæ jugera 210. D. Augustus in Bæturia Emerita jugera 400. Quibus divisionibus Decumani habent longitudinis actus XL. E. actus XX. Decu. est in oriente. Quibusdam deinde coloniis perticæ fines, hoc est primæ assignationes aliis limitibus, aliis præfecturæ continentur. In Emeritensium*

* Non absimiliter Petrus de Medina lib. II. *Rer. Hisp.* c. 67 nugatur, sed Florianus Ocampius l. I, cap. 14 *Chron. Hispan.* et Didacus Perez de Mesa *Notis ad Pet. de Medina*, et Lud. Non. c. 31 *Hisp.* quidde iis sentendum sit, erudite demonstrant.



finibus aliquæ sunt præfecturæ, quarum decimantæque in orientem diriguntur, cardines in meridianam. Jugeribus tot assignatis colonia Latina fuit, hoc est juris Italici privilegiis gaudens. Paulus jurisconsultus, lib. II de cens., l. ult. D., eo. l. tit. *In Lusitania Pacenses et Emeritenses juris Italici sunt.* Conventus etiam Lusitanicæ fuit. Plin. IV, c. 22, de Lusitania, *Universa provincia dividitur in conventus tres, Emeritensem, Pacensem, Scallabitanum.* Addo totius generis ritus Emeritæ florere cum Flaminicam, hoc est Flaminis Dialis (testibus Festo et Agellio x, cap. 15) uxorem, Emeritensem celebre et ipsi lapides. Super Exarramam fl. duobus millibus infra Tenaquam oppidum Lusitanicæ

IOVI. O. M.
FLAVIA. L. F. RVFINA
EMERITENSIS. FLA-
MINICA. PROVINC.
LUSITANIÆ. ITEM. COL.
EMERITENSIS. PERPET
ET. MVNICIPI. SALACIEN.
D. D.

Emeritæ etiam landibus attribuendum est, ad eam usque viam sterni jussam a Coss. tempore Augusti. Lapis vetus *Cappare*,

T. VICTVRIO. ET. C. SEMPRONIO. COSS. POPVLIS PROVIN-
CIÆ. ARENAT. OB. SVPERIORVM. TEMPORVM. BELLA. AD.
SVMMAM. INOPIAM. REDACTIS. IMMVNITAS. DATA. EST.
QVOAD. QVIDQVID. TERRARVM. AD. EMERITAM. VSQVE. AV-
GVSTAM. INTERIACET. LAPIDIBVS. STERNERETVR. CENSVE-
RE. SIQVIDEM. E. MAIESTATE. AVGVSTI. DIVI. F. AC. S. P.
Q. R. DIGNITATE. ET. AMPLITVDINE. H. C. ESSE. VT. PRO-
VINCIE. PORRO. AB. ITALIA. CONSTITVTÆ. QVÆ. DE. RE-
PVBLICA. RO. BENE. MERITÆ. ESSENT. IN. MELIOREM.
CVLTVM. REDVCERENTVR. ITAQVE. TITO. MVRTIO. PRO-
VINCIE. HISP. CITERIORIS. PRÆTORI. DEMANDATVM. EST.
VT. CCCCX. PONDO. ARGENTI. E. PVBLICIS. POPVLI. RO.
EMOLVMENTIS. QVÆ. PRÆTERITIS. TEMPOR. QVÆSTORIBVS.
RECEPISSENT. PROVINCIAM. SVBLEVARET. ET. PONDO. E.
PROVINCIALIBVS. QVÆ. AD. PHILIPPOS. QVÆ. AD. ACTIA-
CVM. SVPERERANT. AVT. QVÆ. IN. ÆRARIVM. NONDVN.
RELATA. FVERANT. CLI.

Uti etiam ad hanc e *Cappara* Vespasian. lap. *Emeritensis* ex *Suritæ* et *Scothi* schedis

IMP. CÆS. VESPASIANVS
AVG. PONT. MAX. TRIB. P. II.
IMP. VII. COS. III. DESIG. IIII
P. P. VIAM. A. CAPPARA. VRBE
AD. EMERITAM. VSQ. AVG.
IMP. SVA. RESTITV
LXXIII.

Emeritam præterea adjectione familiarum auxit Otho imp. Tacit. I. *histor. Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos aggressus, Hispanensibus et Emeritensibus familiarum adjectiones. c. Lusitanibus universis civitatem Rom. provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit.* Et merito. nam non solum inter urbium in *Mediterraneis* clarissimas in *Lusitania* Emerita numeratur a P. Mela cap. VI, lib. I, sed

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs. . . .

b Exornat hunc lapidem arbor incognita ex uno latere, ex altero aquila expansis alis quasi subvolatura, trisulcum fulmen unguibus tenens.

c Ita verissime emendante Cl. J. Lipsio

a Prudentio dicitur. Parum. Ausonius in ord. nobil. arbutum via hoc titulo, DE EMERITA :

Jure mihi post has memorabere nomen Iberum
Euzara; æquoreus quam præterlabitur amnis;
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, non arce potens tibi Terra certant,
Quæque sinus pelagi jaciatur ac Bracara dives.

Quod frustra Hispali conantur attribuere E. Vinetus Comm. ad Auson. et P. Merula cap. 24, part. II, lib. II Cosm., quod in aliquot Codd. reperitur, et quod Hispali Iberum Hispanumque sit nomen, Emerita autem Latinum. Quasi vero Hispali originem Latinam nesciat. Isidorus xv Orig. I, *Hispalis a situ cognominata est, eo quod in solo palustri suffragis in profundo palis collocata sit*: quam etiam etymologiam respexit Rasis, cum ait: *Quando Hercules poble a Sevilla, fundola sobre madera e pusola nombre de ista de palos*. Et quare Hispali aut Hispal Hispanum sit nomen, non video. Phœnicium aut Punicum potius non male arguatur vir magnus B. Arias Montanus. Nec etiam video quare hoc argumentum validissimum putet V. Cl. Merula, cum non solum fragile sit, sed etiam vanum. Astipulatores tamen favent alios, sed Bæticos, qui Jos. Scaligerum oscitantiam non int, quod i Auson. lect. 23 et lib. II, cap. 30, vulgatam Ausonii lectionem erudite tueatur. Scio Bætim ab antiquis merito celebrari et navigabili commercio divitem; sed non ignoro ab iisdem Hispalim sive Spalim Bæti fl. præcipue non designari, ut Emeritam Ana. De qua Plinius 4, cap. 13. *Augusta Emerita Ana fl. appoita*. Prudentius de eadem,

Quam memorabilis amnis Anas
Præterit. . . .

Quem Paulus Emeritensis noster expressit, cap. 2. *M. moribilibis amnis Anas nimum exerescens*. Sic ab Auson. hic

Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,

Et epistolæ ad Paulinum,

Emeritaque amnes. . . .

b Addo notiore hinc Emeritam et Anam Ausonio fuisse, cum utriusque bis meminerit, quam Hispalim et Bætim, quorum nunquam. Itaque magis hæc ex familiariori Ausonii cognitione, quam ex alia ratione pensanda. Bæti (non nego) æquoreus sit, nam *Oceanus naturam erga fluxum refluxumque declarat*, teste Philostrato in Apollon. v, cap. 2,

Et celebre Oceano æque alternis æsibus Hispal,

Silio nostro Punic. III. Quid ergo? anæ non æquoreus Anas, cujus magnitudinem omnium sæculorum monumentis contestatam noscimus? Bæti (Plinio auctore III, cap. 1) *modicus primo, sed multorum fluminum capax, quibus ipse samam aquasque aufert*. Unde immerito reprehensus a criticis Isidorus noster, cui XII Orig. 21, *Bæti dictus, eo quod humili solo decurrat*; *Bæti enim Grece humile vel mersum vocant*. Anas vero *ortus Laminiano agro citerioris Hisp. et modo se in stagna fundens, modo in augustius sorbens, aut in totum cuniculis condens, et sæpius nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur*, ingenti tempe semper ac ubique alveo. Quid arguitur? Strabo in lib. III, cum de Turditanis ageret, et Anam Bætimque conjunxisset, Bætim Ana interiorem proponit: *Hæc autem plaga (Turditanorum) inter Anam ad ortum usque ad Oretaniam protenditur. A meridie vero ab ejus eruptione usque ad Anæ*

* Sic etiam Roder. Toletan., lib. I, cap. 5, de Hispali, *eo quod prima habitacula palis suppositis regionem susceperunt*.

b Subscribunt Emeritensi laudi D. Rodericus a Caelia Bracarenensis Ecclesie archiepiscopus primas, ingens Hispanie ornamentum, singulare præsalum omnium exemplar, cujus eruditio nobilitatem, quæ prima inter Lusitanos est, æquat, cum tamen nobilitas ab humanitate superetur: tot in illo heroicæ præstantissimæ dotes: cap. 2 tract. de Primatu Bracar.

A *maritimum tractum, et usque ad Columnas, etc. a quam maritimæ portem et Bæti et Anas erumpunt, hinc notissima Mauritanie plaga inter Atlanticum incidens pelagus, fretum ad Columnas efficit, quo extraneum cum Mediterraneo mari jungitur*. Et paulo ante, *Australis (Hispanie) lateris initium ad ulium usque flumen Anam et ejus egressum. Ab orientalibus vero partibus uterque defertur. Alter quidem retro in occasum cursu elabitur altero longe major. Verum Anas sese flectit in Austrum, mediam inter amnes regionem determinans, quam Celtæ majori ex parte incolunt, et Lusitanorum plerique, quos ex ulteriori Tagi regione in coloniam Romani traduxere. In superioribus autem partibus Carpetani, Cætanique et Vettonum frequentes habitant, etc.* Et tandem, *Hic est quem flumen Bæti affluit iisdem in locis nascens, ex quibus Anas et Tagus mediæ inter utrumque magnitudinis existens ab sua primordia, sicut Anas in occasum stans, inde in austrum deflectens, in idem litus excurrit*.

B Hæc ex fluviis, ex urbibus etiam delucenda conjectura est. Magna olim et cebris Hispali, sed non magnitudine et celebritate inferior Emerita. De illa non in Hispania solum antiqua, sed Notis ad Fræti Avieni nostri oram maritimam præcipue dixi. De hæc nunc, tantam olim fuisse, ut cum Corduba, Tarracone et Barcinone vix vellet certare, ut Ausonius scribit. Et certe ea magnitudine ubi hæc quondam fuit, ut fabulæ rerum omnium fide majorum ritu, non apud Arabes, sed etiam apud scriptores nostros, locum præberet. Quibus si credendum impune esset, mœnia trium fere leucarum ambitu circumdata, decem et septem cubitis lata, et quadraginta quaque alta: 1500 turribus distincta, 44 præter maximam portis patens. Quam quidem amplitudinem civium bellatorum numerus adimplebat. Ex illius fama Hispanum illud decantatissimum

MERIDA, que en las Españas
Otro Lieti; o faiste Roma,

olim apud posteros emanavit. Unde non immerito C. J. Moletius insignis sui temporis mathematicus cum Ptolemæum illustraret lib. II, cap. 3, ait, *Augusta Emerita, Merida vulgo, olim altera Roma*: nam cum ea quæ digna, quæ cum Romana magnitudine comparanda censebatur, aliæ Roma inferiores inutiliter certarent: potius

Submittit cui tota sua Hispania fasces.

Hinc Emerita Romæ et Romanis ne videretur ingrata, quantum maxime potuit non solum ad urbem, sed et civium exemplum sese totam sermone, veste et moribus composuit. Strabo III de Turditanis: *Plures Romanos mores assumpserunt, ne sermonis quidem vernaculi memores, ac plerique facti sunt Latini et colonos acceperunt Romanos, parumque abest quin omnino Romani facti sint, et quæ nunc condita sunt urbes Per Augusta in Celticis, AUGUSTA EMERITA in Turdulis, etc., et qui hanc formam sequuntur Hispani Stolati seu Togati appellantur*. Nec minore cura adificiorum publicorum moles ad Romæ imitationem curata ab Emeritensibus est, teatro nimirum, arcu triumphali sive tropæo, Naumachia et ponte Romani operis longissimo nobilitata, quæ multis apud scriptores nostros agitantur. Tantum verba doct. Lud. Nonii, quæ multorum summam continent, hic apponam ex c. 31 Hisp. *Sita est Emerita loco campestri juxta fl. Anam, vulgo Guadiana; qui pulcherrimo stratus ponte, ut ex architecturæ concinnitate conficere*

Eccles., nec non V. Cl. Lud. Nonius, c. 31 Hispan., ut minorum gentium scriptores omittam.

c Mariana in de reb. Hisp., c. 25, accurate, ut solet, de Emerita: *Colonia constituta Aug. Emer. nomine, præterfluente Ana fl. in paucis nobilissimo. Quæ civitas priscis temporibus frequentia, amplitudine, copiis, auctoritate tum civili, tum sacra, cum præcipuis Hisp. urbibus de principatu certabat. Lusitanie caput, unde et MAGNÆ Emeritæ nomen tulit. Eodem modo Steph. Garranius lib. VI Comp. Hist., c. 27.*

*licet, Romanam magnificentiam refert. Hac in urbe A
duo erant aquæductus, quorum adhuc hinc inde sparsi
arcus visuntur, qui operis splendorem præ se ferunt.
Urbi etiam contigua moles, quam incolæ septisolum
vocant, quod referant stato tempore septem Pænorum
reges hac in urbe convenire solitos fuisse, et his sedibus
sedisse. Sed germanæ nugæ sunt, cum sedilium ne
umbram quidem hæc moles referat; sed theatrum
fuisse ait Gaspar Barrerius, quod arcus plane habet
collapsos, parietes vero diversis in locis integros, ru-
derum aggestione plane deformatum. Arcus etiam hic
prope D. Jacobi ædem spectatur, quem incolæ plurimi-
que scriptores triumphales fuisse putant: sed præter-
quam quod falsum sit, triumphales arcus alibi quam
Romæ fuisse, structuræ sunt magis illustris et operosæ;
res gestas, fusos hostes, victoriasque insculptas habent;
una cum titulo imp., ut Romæ videre est in arcu imp.
Septimii Severi et Titi Vespasiani. Emeritensis vero
arcus nihil horum præ se fert, ideoque non abs re Bar-
rerius suspicatur fuisse tropæum aliquod. Insigne
præterea antiquitatis opus conspicitur hic, Naumachia.
Figura campi est ovalis, 1100 pedes in longitudinem
porrecta; latitudo vero longitudini respondet: circum-
data est magno muro in arcus et fornicis deducto, ut
nonnullis in locis adhuc vestigia monstrant. Urbs hæc
olim nobilissima ad magnam incolarum infrequentiam
delapsa est, et præter priscæ claritatis ruinas nihil
ostendit; ut merito cum ingeniosi operis scriptore
Nasone (Metam. xv) exclamem, expostulemque:*

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitataque dentibus ævi
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Addam (ne quid desit quod ad Emeritam, quando
illius res sigillatim aguntur, spectet) tria, quæ apud
scriptores de illa inveni. Frequentia fuisse inter
Emeritenses et Cæsaraugustanos olim commercia,
docentibus id tribus itineribus, quæ ab Antonino
Emerita Cæsaraugustam assignantur, nempe (si me
emendatorem audis)

AB EMERITA CÆSARAUG. M. P. DCXXXII. SIC :

Ad Sarores	m. p. xxvi.
Castris a Cæciliis	m. p. xx.
^b Tumulos	m. p. xx.
Rusticiana	m. p. xxii.
Cappara	m. p. xxii.
Cæcilianis [Forte Cæcilianis]	m. p. xxii.
Ad Lippos	m. p. xxii.
^c Sentice	m. p. xii.
^d Salmantica	m. p. xxv.
^e Sabariam	m. p. xxi.
^f Ocello Durii	m. p. xxi.
^g Albuella	m. p. xxii.
Ama lobrica	m. p. xxii.
Septimanca	m. p. xxiv.
Nivaria	m. p. xxii.
Cauca	m. p. xxii.
Secoria	m. p. xix.
Miacum	m. p. xxiv.
Titulcia	m. p. xxiv.
Complutum	m. p. xxx.
^h Garacca	m. p. xxii.
Cesata	m. p. xxiv.
ⁱ Segonia	m. p. xxii.

^a Male in vulgatis, Cæciliis.

^b Male, Turmulos.

^c Sic Ptolemæo Σεντικί.

^d Male, Salmaticæ.

^e Anne Sabariam, ex I-dori Chronico?

^f Male, Ocelo Durii, sunt qui velint Octo-durum.

^g Ἀλβέλλα Ptolemæo est.

^h Male Arriaca, nam Ptolem. κάρρακα est.

ⁱ Que nunc Siquenza.

^j Male, Bilbacenorum.

^k Que nunc Ruida.

^l Male Lamina, nam Ptolem. λαμίνον est.

Arcobrica	m. p. xxiii.
Aquæ I Bilbitanorum	m. p. xvi.
Bilbili	m. p. xxiv.
Nitorbrica [At. Nertobrica]	m. p. xxi.
^l Secontia	m. p. xix.
Cæsaraugusta	m. p. xvii.

ALIO ITINERE AB EMER. CÆSARAUG. M. P. CCCXLVII. SIC :

Lacipea	m. p. xx.
Leuciana	m. p. xxiv.
Augustobrica	m. p. xii.
Toletam	m. p. lv.
Titulciam	m. p. xxiv.
Complutum	m. p. xxx.
Caraccam	m. p. xxii.
Cesata	m. p. xxiv.
Secontia [Anne Segontia?]	m. p. xxiii.
Arcobrica	m. p. xxiii.
Aquæ Bilbitanorum	m. p. xvi.
Bilbili	m. p. xxiv.
Nertobrica	m. p. xxi.
Secontia	m. p. xiv.
Cæsaraugusta	m. p. xvi.

PER LUGITANIAM AB EMER. CÆSARAUG. M. P. CCCCLIX. SIC :

Contosotia	m. p. xii.
Mirobrica	m. p. xxxvi.
Sisaloe	m. p. xxii.
Carcorium	m. p. xx.
Ad Turres	m. p. xvi.
Mariana	m. p. xxiv.
^l Laminium	m. p. xix.
A'ces	m. p. xl.
Vico Cuminario	m. p. xxiv.
Titulciam	m. p. xix.
Cæsaraugusta mansionibus su- prascriptis	m. p. ccxv.

Eadem commercia inveno inter Hispalenses, Cor-
dubenses, Salacienses, Olyssipponenses et alios cum
Emeritensibus. Itinera ipsa manifestant, quæ (ut
hactenus ad oram monui) emendatarius adiciam.

AB HISPALI EMERITAM M. P. CLXV. SIC :

Carmonæ	m. p. xxii.
^m Obulcula	m. p. xx.
ⁿ Astici	m. p. xv.
^o Celti	m. p. xxxvii.
Regiana	m. p. xliiv.
Emerita	m. p. xxiiv.
ITEM A CORDUBA EMERITAM M. P. CLXI. SIC :	
Equabona	m. p. xii.
Catobrica	m. p. xii.
Cæcilianis [Anne Cæcilianis?]	m. p. viii.
Malceca	m. p. xxvi.
Salacia	m. p. xii.
Ebora	m. p. xliiv.
Ad P Anam fl.	m. p. ix.
^q Evandriana	m. p. xvii.
Emerita	m. p. ix.

D ALIO ITINERE AB OLYSSIPONE EMER. M. P. CXLV. SIC :

A litio Prætorio	m. p. xxxviii.
^r Abelterio	m. p. xxix.
^s Matusaro	m. p. xxvii.
Ad septem Aras	m. p. ix.
Budua	m. p. xii.

^m Sive Obotula, nam Ὀσούκολα Ptolemæo; Ὀσούκολα
Appiano est male in vulgatis Anton. A. Βιουκία.

ⁿ Forte Ἀστυά Strab.

^o An Celtica Plinii Hispalensis conventus?

^p Sic lego cum Ortelio, nam statim subsequitur
etiam iter ad ostio fl. Anæ Emeritam usque. In vul-
gatis non bene Aarum.

^q Anne Εὐανδρία Ptolemæi, quæ in Lusitania?

^r Pessime in vulg., Ab Otis in Ponce.

^s Ab Elteri leg. Simlerus.

^t Manisuro in codd. Ortetii.

Plagiaria	m. p. iix.
Emerita	m. p. xxx.
ITEM ALIO ITINERE AB OLYSIPP. EMERIT. M. P. CCXX. SIC :	
a Ierabrica	m. p. xxx.
b Scalabim	m. p. xxxii.
c Tacubis	m. p. xxxi.
d Fraxidum	m. p. xxxii.
e Montobrica	m. p. xxx.
f Ad septem Aras	m. p. xiv.
g Plagiaria	m. p. xx.
h Emerita	m. p. xxx.
ITEM AB OSTIO FL. d ANÆ EMER. USQUE M. P. CCCXIII. SIC :	
i Præsidio	m. p. xxiii.
k Ad Rubras	m. p. xvii.
l Onova	m. p. xxxk.
m Hipa	m. p. xxx.
n Tucci	m. p. xxi.
o Italica	m. p. xiii.
p Monte Mariorum	m. p. xlv.
q Curica	m. p. xlix.
r Contributa	m. p. xxiv.
s Perviana	m. p. xx.
t Emerita	m. p. xxiv.

Succedit huic alia de Emerita apud scriptores observatio, quæ secunda, nempe *coccum* tingendo optimum circa Emeritam inveniri. Plin. ix, cap. 41, *Coccum Galatia Rubens granum, etc., aut circa Emeritam Lusitanæ in maxima laude est. Tertia, Olivas præcipui saporis. Idem optimus et elegantissimus naturæ scrutator xv, cap. 3: Sunt et prædulces per se tantum siccate, visque passis dulciores, admodum rare in Africa, et circa Emeritam Lusitanæ. In iis (veluti in conviviis fieri amat, cum*

..... Fiorit oliva dapes.
(*Martial. lib. xiii, epigr. 35.*)

ut b coquus noster ait) fastidio arcendo jam sisto. Hactenus de iis quæ ad Emeritensibus urbis magnitudinem spectant; nunc quæ ad religionem. Quæ ab ipsius fidei catholice incunabulis illum illustravit duorum apostolorum Petri illorum principis, et Jacobi unici Hispaniarum patroni præsentia gloriantem. Nam B. Jacobus cum e Jaffensi portu egressus esset, in Sardiniam usque insulam penetravit, et inde in Hispaniam, in cujus urbe Carthagine solet. Hinc Granatam versus tendit, ubi cum jecisset verbi divini semina, discipuli martyrio astitit. Postea Mentem, hinc Cordubam et EMERITAM perrexit, et per Lusitaniam et Bracaram in Gallæciam venit, etc., ut ait Breviarium Armeniorum apud Ferdin. de Oxeda Dominicanum, cap. 6 Hist. S. Jacob. num. 2. Accessit B. Petri Batensis, Jacobi discipuli, et Episcopi Bracarenensis doctrina; nam cum esset in Hispania S. Jacobi ricarius ad Magistri exemplum, non in sua tantum civitate commorabatur, sed zelo fidei citra et ultra Tagum, populosque sibi commissos ambiens Egitanæ, Callentiæ (sic habent mss. Codices) EMERITÆ, Ambraçie et in aliis Vettonum et Lusitanorum urbibus verbum Dei disseminavit. Teste Caledonio Petri in re. le Bracarensi successore in ipius Vita apud Hugonem Portucalensem episcop., epis ola ad Mauricium Bracarensem, quæ litteris Gothicis scripta exstat in cœnobio S. Crucis Conimbricensis. Emeritæ itaque circa annum a Christo nato 40 prima Evangelii lux affulsit; nam anno 37 Jacobus Petrum Bracaræ præfecit, et anno 45 Petrus martyrio coronatus est, ut ex Dextro D. Paciani F. alibi asseruimus. Tantum

a Non ut in vulgg. *Gerabrca*: ex Anton. fort. emend. Ptolem. in cujus codd. Ἀράβ. ιαα legitur, et repon. Ἱεράβριχα.

b Ptolem. Τάουβρις; male itaque in vulgg. *Tubucci*.

c Non bene *Mundobrica*.

d Male in vulgg., *Osto et Ani*.

e *Onoba* Plin. et Strab. Ὀνοβα, sed non hoc itinere.

f In vulgg. pessime litteræ coaluerant, cum leg.

A religionis antiquitatem Emerita jactet necesse est; cujus Ecclesiæ fundamenta jecit B. Petrus Lusitanorum apostolus, vel ibidem pontificalia munera exercens, vel alium, qui exerceret, suo et apostolorum more, præliciens; unde non immerito primum Emeritensium præsulum huic S. Petrus, quo Bracarensem etiam primo gloriabantur, possimus agnoscere. Cætero unam seriem et si mutatione rerum et temporum intercapedine imminutam e monumentis antiquis libet atterere. Qui post sparsus a B. Petro Batensi sive Bracarensi evangelicæ lucis radios, primus Emeritæ præfuit episcopus, fortasse S. EPITACIUS, sed Petro apostolo Emeritam invisente. Dexter ad ann. 48: *Petrus ad Hispanias venit, easque invisit; pastores ibi reliquit, Scetifirmi Epennotum episcopum creat, et Emeritæ Epitacium*; ut in quibusdam mss. legitur, et ego a l illum noto. De Epitacio Martyrol. Rom. 23 Martii. Subsecutus, sed longo proximo intervallo, MARTIALIS (circa annum Christianum 258) quem Emeritensem volunt Vasæus ad ann. 26, Moral. lib. ix, cap. 45, et Padilla cent. 3, cap. 10 (etsi Baronius ad ann. 258. et ex eo Severinus Binius tom. I Concil., fol. 159, Asturicensem dicant). Hic, infelicitate temporum seductus, una cum Basilide in varios errores incidit, adversus quos scripsit S. Cyprianus Carthaginensis episcopus epistolam *Felici presbytero et plebibus consistentibus ad legionem et Asturicam, item Ælio diacono et plebi Emeritæ consultantibus fratribus in Domino*, in editione Pamel. 68.

Succedit circa annum 312 LIBERIUS, qui concilio Il-liberritano decimo loco subscribit: *episcopus Emeritensis sive Emeritanus* (nam utroque modo in mss. legitur), et concilio Arelatensi primosub Silvestro et Constantino I, ann. 314. *ex civitate Emerita Liberius episcopus*; de quo Moral. lib. x, cap. 34. Circa ann. 347 FLORENTIUS sive FLORENTINUS (etiam utroque nomine legitur in autographis) qui una cum Liberio episc. concilio Arelatensi ex civitate Emeritæ diaconus interluerat; postea concilio Sardicensi generali, Nicæni nimirum appendici, subscribit: *Florentinus ab Hispania, de Emerita*. Circa ann. 580 ITACIUS sive IACIUS (utrumque in mss. reperi) Emeritæ episcopum assignat Severus Sulpicius cum lib. II Sac. Hist. de Prisciliano ageret, sed corrupte; nam *Idacium Emeritæ ætatis sacerdotem* in vulgatis legitur, pro Emeritæ civitatis, uti olim monui Comment. ad ann. 420. Dextri, ubi multa de iis qui in Hispania *Idacii, Ithacii, Ithacii* aut *Idalii* nomine insigniuntur, et non vulgaria habes. *Idacius Emeritensis* concilio Cæsaraugustano i. ær. 418 congregato, subscripsit. Postmodum altum de episcopis Emeritensibus silentium apud scriptores est. Qui longa temporum intercapedine, scilicet Leovigildi, hoc est 570, occurrit, PAULUS est, de quo noster Paulus cap. 4; cui successit FIDELIS, de quo idem cap. 5, 6, 7, 8.

Distinctior memoria MASSONÆ invenitur, qui duobus conciliis Toletanis Reccareti tempore habitis, æra nempe 627, hoc est anno 589: *In Christi nomine Ecclesiæ catholicæ Emeritensis metropolitanus episcopus provincie Carpetaniæ constitutionibus, quibus in urbe Toletana interfuit, annuens subscripsit*; nec aliter ær. 635, hoc est anno 597. De quo Paulus noster a cap. 9 ad 21: *Masona, dum concilii causa Toleti degeret, lustrationi ecclesiæ Toletanæ astitit. Julianus archipresbyter Tolet. in Chron.: Ecclesia S. Mariæ Toletana, quæ ab apostolo Jacobo fuit incæpta, et a M. Marcello Eugenio Assumptioni B. Mariæ consecrata, ab Arianis episcopis cogentibus regibus Wisigothorum sæpe profanata, et a bonæ memoriæ rege Montem Ariorum. Ptolem. tamen Μακρυβίς est, Plin. Marianii.*

b Ptolem. κοινυρεβοῦτα. Cocco abundavit, et olivis prædulcibus, sed iaris.

c Sic ab antiquis fortasse appellatus a condiendis sive coquendis sapidissime facietis, ut integro Schidiam 40 Horar. Subsecivar., Decad. 4, olim disputavi.

Reccaredo catholico restituta ritu solemniter 15 April. ab Euphemio vel Euphemiano Toletano archiepisc. et Hispaniarum primale, presentibus Massona Emeritensi metropolitano et Benigno Bracarense et aliis metropolitans, etc. Sed ulinam Toleti tempore concilii habitabat Emeritensis? Idem Julianus in Adversariis: *Bracar in conciliis Toletanis habitabat in S. Leocadiæ prætorio; Hispanens. in suburbano ejus templo; Emeritanus in S. Eulaliæ, etc.* Massona exsule intrusi sunt in illius locum SUNNA et NEPOTIS, pseudo-episcopi, de quibus ad c. 11, 12, 13, 14, Pauli. Vero episcopo Massona INNOCENTIUS successit, ex Paulo cap. 2. Qui ær. 648 anno, nimirum 610, Gundemari regis decreto Emeritensis provinciæ Lusitanicæ metropolitans episcopus, dum in urbem Toletanam pro occursu regio advenisset, assensum præbuit atque subscripsit; nec multo post RENOVATUS, de quo Paul. cap. 21. Cui STEPHANUM successisse Not. ad cap. 21 probat; qui anno 619 concilio IV Tolet. subscripsit *Ecclesiæ Emeritensis metrop. episc.* Post quem ORONTIUS, cujus mentionem exstat in conc. Tol. VI, ær. 676, ann. 636. Nam in subscriptionibus Guntiacus presbyter agit vicem Orontii episc. Emeritensis. Et ær. 684, ann. 546 in VII Tolet. concil., Orontius in Christi nomine S. Eccles. Emerit. metropol. episc., statuta definitis, subscribit; nec non ær. 591, ann. 653 conc. VIII interfuit. Post hunc PROVICIUS, Dei miseratione Lusitanicæ provinciæ S. Emerit. Eccl. metrop. sedis episc., gesta synodalia cum finitimis suis episcopis instituta confirmavit ær. 704, ann. 666 in concilio Emeritæ congregato sub Reccevintho rege. Hujus successorem FESTUM invenio ipsius Wambani regni initio, nempe circa ann. 675, de quo nullam aliam mentionem lego præterquam apud Egicanem regem episc. Omnibus SS. PP. in S. synodo Toletana XVI residentibus, his verbis, et quia præcessor noster diæ memoriæ dominus Wamba rex in ipsis regnandi primordiis Theudemundum spatium nostrum, contra generis vel ordinis sui usum, Festi quondam incitatione Emeritensis episcopi, solius tantum regiæ potestatis impulsu, in eadem Emeritensi urbe numeraria officium agere instituit, &c.

STEPHANUS alter ær. 719, ann. 681 conc. Tol. XII, et ær. 721, ann. 685 sub Ervigio XIII, Emeritens. Eccles. metropolitans, confirmat, et XIV, ær. 722, ann. 684 sub eodem, Maximus abbas age s vicem Domini Stephani Emeritensis Eccles. similiter. Qui quidem MAXIMUS sub Egicane ær. 726, ann. 688 in concil. Tol. XV, et ær. 751, ann. 695 in XVI Emerit. metropol. dicitur.

ANDREAM etiam invenio Emeritensem præsulcm circa ann. 910 Julian. in Chron. Blasius (Tolet. episc.) concilium contrahit hoc anno in urbe Toletana. Conveniunt autem ad illud episcopi, videlicet Egas Valentinus, Andreas Emeritensis, Theodominus Bracaren., Adelphius Elborens. ex Carpetanis, et alii numero XXV. Agitur de reformatione cleri et de officii mutatione.

Hæc præsulum Emeritensium series ex antiquis conciliorum et scriptorum monumentis eruta: nec plenior aliunde ipsorum notitia extrahenda est. Nam varia Ecclesie Emeritensis, ut temporam, vicissitudo. Ab antiquis simis temporibus totius Lusitanicæ metropolim fuisse nullus est qui dubitet. Nam Constantino Magno curante in ex archiepiscopis: tus sive primas arches Hispania divisa est, Narbonensem nimirum, Toletanam, Tarraconensem, Bracarensem, Spalensem et Emeritanam, unicuique metropolitæ suffraganeis suis attributis. Emeritæ metropoli in Lusitanicæ provinciæ obtigere Avela, Salmantica, Ebor, Caurio, Oxonoba, Olixbona, uti in divisione provinciarum Hispaniæ et earum sedium habet antiquus codex Hispal. D. Laurenti ante mille fere annos scriptus;

^a De quo Mariana III, c. 25, de reh. Hisp.: *Rasis Arabs effusus ingenii copias multa ac pene incredibilia de ejus urbis (Emeritæ) magnificentia elegantiaque*

etsi in alio Oretensi Gothico plures assignantur, nempe Merita (represento veterem scripturam) Pace, Olixbona, Oxonoba, Egilania, Comibram, Visæo, Lamego, Culiabria, Abela, Caurio, Elbora, Abela, Salmantica, Numantia, id est Zamora. Nec aliter in divisione ab Wambane rege in concilio Toletano XI procurata, apud Itacium.

Hæc suffraganeorum auctoritate metropolitana Ecclesia Emeritensis gloriosa incredebatur ad excidium usque Hispaniæ fatale, in quo Muza Arabum dux irit Emeritam (verbis dicam Roderici Toletani, cap. 23, lib. III), quæ multis et antiquis ædificiis antiquæ dignitatis gloriam testabatur, et incolæ de multitudine præsumentes contra eum ad prælium exierunt: sed in die Muza non potuit prevalere. Videns autem quod non poterat obtinere, in lapidicina urbi proxima insidias occurrat, et sequenti die, ut heri fecerant, cives ad prælium processerunt: sed inter celatam et acies intercepti ex civibus plurimi occiderunt, et qui evadere poterant, ad urbis ambitum confugerunt.

Erat enim muri firmitas miro opere fabricata. Christiani autem corde pusillanimitate desperantes sequenti die colloquium petierunt. Cumque permissi ad Muzæ præsentiam accessissent, et viri cantium attendentes, ad suos post colloquium redierunt, et exposita canitie obsessoris opinati sunt senem brevi tempore desituros; et ideo illa die a compositionis colloquio destiterunt. Tunc Muza præcepit murum perfodi circumquaque: obsessi autem ab intus exeuntes plures ex fossoribus occiderunt. Die tertio iterum colloquium postulantes ad Muzæ præsentiam redierunt, et quos pridie caecos notaverant, tincturæ opere coloris contrarii invenerunt, et fatuitate attoniti miraculum reputarunt, et ad suos illico redeuntes nuntiarunt virum virtute præditum, qui nunc juvenili, nunc senili præstantia juxta beneplacitum mutabatur, et hoc miraculo conturbati, urbem protinus reddiderunt, interposito tamen pacto, ut salvis rebus recederent et personis. Cepit itaque urbem anno Arabum XCIII, ultima die mensis Ramadan. Copiosius hæc ^a Rasis Arabs Diharab Marochiorum Miramolini ac Cordubæ regis historiographus in Hisp. describit. Et Eleastras (si verum, non fictum nomen est scriptoris, qui Roderici et Hispani excidii historice auctor dicitur, in quo plura passim de Emerita) a c. 141 ad 143, e quibus Moral. X, cap. 75, et Marian. lib. VI, c. 20.

Jacuit itaque, jacente inter barbaros Emerita, hæc metropolitana Emeritensis dignitas sine sede, sine nomine, usque ad annum nostræ salutis plus minus 1522, cum Callixtus II Compostellanam Ecclesiam metropolitana dignitate sublimavit, et in ea omnia Emeritensis Ecclesiæ jura transtulit, omnesque illius suffraganeos Compostellano archiepiscopo parere jussit, ut ait Vasæus cap. 21 Chron. Quod verbis Innocentii III, Pont. Max., epistola ad Petrum Compostellanum libuit repetere ex lib. II Registr.: *Valens enim apostolica sedes Compostellanam Ecclesiam pro reverentia B. Jacobi apostoli, cujus venerandum corpus in ea conditum quiescit, speciali privilegio decorare, dignitatem Emeritensis metropolim, quæ peccatis exigentibus a longis retro temporibus usque nunc barbarica tenetur seruitute captiva, eidem Ecclesiæ cum integritate Lusitanicæ provinciæ liberati concessione donavit, sicut privilegia sel. mem. Callixti PP. prædecessoris nostri liquido protestantur.* Hinc præter famam nihil Emeritæ ex ecclesiastica dignitate relictum est. Nam oppressi nem quam passi Emeritenses sunt sub Arabibus, non aliunde melius noscas quam ex epistola Illudovici Pii Aug. ad Emeritanos Hispaniæ, ab Einhardo, cujus epistolis inserta est, composita, editaque inter analecta minorum diversi generis scriptorum post Notas viri doctissimi Jacobi Sirmundi S. J. ad Capitula Caroli Calvi et successorum, fol.

prædicat, a Mauris eversam affirmans quo tempore imperium subdiderunt Hispaniæ.

123. Quamlibet hic, quia bella occasio est, inserere autem quod ab scriptoribus nostris tacita præmittatur, tum etiam quod tam Emeritensium oppressas res, quam animos ad omnem bellicæ virtutis aleam promptissimos contineat. Hæc illa:

HLUDOVICUS, divina ordinante providentia, Imp. Aug. omnibus primatibus et cuncto populo Emeritano in Domino S.

Audimus tribulationem vestram et multimodas angustias quas patimini per crudelitatem regis Abdiramman, qui vos per nimium cupiditatem rerum vestrarum, quas nobis auferre conatus est, sapientissime violenter oppressit; sicut et patrem ejus Abolaz fecisse compertimus: qui injustis superpositionibus census, cujus debitores non eratis, sibi solvere cogebat, et propter hoc de amicis inimicos, et de obedientibus sibi contrarios atque inobedientes effecerat. Quia et libertatem nobis tollere et injustis censibus ac tributis nos onerare atque humiliare molitus est. Sed, ut audivimus, vos semper sicut viri fortes injurias ab iniquis regibus vobis illatas fortiter repulistis, et crudelitati atque aviditati eorum viriliter restitistis. Quod et vos modo facere multorum relatione didicimus. Quapropter complacuit nobis ad vos has litteras dirigere, vosque consolari, atque exhortari, ut in ea qua cepistis, libertatis vestrae defensione contra crudelissimum regem perseveretis, et furori atque savitiæ illius, sicut hactenus fecistis, cedere non dignemini. Et quia idem rex certissimus adversarius et inimicus tam noster quam et vester est, communi consilio contra savitiam ejus dimicemus. Volumus enim, cum Dei omnipotentis adjutorio, proxima astate exercitum nostram ad mare nostram mittere, ut ibi præparatus ordeat, et expectet donec vos mandatis quando promoveri debet: si ita vobis bonum visum fuerit, ut pro, ter vos adjuvandos eundem exercitum contra communes inimicos nostros, qui in murca nostra resident, dirigamus. Ad hoc ut si Abdiramman, vel exercitus ejus, contra vos venire voluerit, isti per nostrum exercitum impediuntur, ut illi et exercitus ejus in adiutorium contra vos venire non valeant. Nam certos vos facimus, quod si ab illo vos avertere, et ad vos convertere volueritis, antiqua libertate vestra plenissime et sine ulla diminutione vobis uti concedimus: et absque censu vel tributo, immunes vos esse permittimus: et non aliam legem, nisi qua ipsi vivere volueritis, vos tenere jubemus: nec aliter erga vos agere volumus, nisi ut vos amicos et socios defensione regni nostri honorifice habedmus. Optamus vos in Domino semper bene valere. Hucusque Hludovicus ad Emeritæ urbis cives, cujus laudibus (ut eo, unde discessi, revertar) non immerito accensenda auctoritas illa erit, quam ex conciliorum doctrina, martyrum gloria et virorum illustrium memoria adepta cunctis temporibus Emerita est. De singulis meo more, hoc est breviter. Synodos Emeritæ plures olim habitas testimonio scriptorum scimus, e quibus vix nomina temporum injuria reliquit.

Circa ann. 254, uti habentur frequentes synodi, Tarracone, Hispali, Carthagine, Bracaræ, Toleti, sic etiam Emeritæ, an baptismus collatus ab hæreticis cum intentione faciendi quod Ecclesia prætendit, validus sit? Et conclusum, validum esse, nec sit ab hæreticis baptizatos baptizandos; teste Juliano archiepisc. Tolet., qui vixit ann. Dom. 1050, in Chron. De qua re multi Baron. ad ann. 217 et 158, quæ hic non compilo.

Circa ann. 306. Aliud ex tribus metropolitanis Emeritæ Augustæ, circa questionem, quæ tunc in Hispania plurimum agitabatur, utrum esset majus sacramentum, baptismus an confirmatio? qua de re consultata est sedes apostolica; eodem auctore. Questioni huic fecit satis Melchisedes PP. etiam Hispanus episc. Hispan. Episc. scripta Volusiano et Rufino Coss., quæ exstat tom. I Conc., fol. 188, Rom. c. III.

Circa ann. 354. Aliud de recipiendis lapsis jam præ-

nitentibus Emeritæ, uti etiam Toleti, Bracaræ, Hispali, Tarracone cum numero cætu provinciarum; ex eodem.

Circa ann. 385. Emeritæ Aug. in Hisp. Idacius Episcop. met. opol. provincia (-sic legendum est, non pontifex) Lusitanæ contra Priscillianum concilium contrahit; auctore Fl. Lucio Dextro in Chron., assentiente Severo Sulpicio lib. II Sac. Hist., a quo diversum fuisse, quod in collectione illustrius. G. de Lovisa arch. Tol. et Hisp. prim., fol. 108 exstat, in Notis ad Dextrum olim asserui. Concilii tripartiti sic habet, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Synodus, quæ gesta est in provinciâ Lusitanæ apud urbem Emeritensem, quæ caput ejus dignoscitur esse XII episcop. in unum collectorum die VIII Id. Nov. ann. 18, sereniss. et piiss. Reccesinthi regis, ær. 701, hoc est ann. 467. De quo vid. Innocentius III P. M. Epist. ad Petr. Compostel. tom. II Epist. Pontif.

Hæc de conciliis. De Martyribus etiam obiter. Inter omnes principem locum habet

Germine nobilis Eulalia,
Mortis et indole nobilior
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.

Ut canit Prudentius poeta noster, et pius et eruditus hymn. de illius laud. Unde Venantius Fortunatus Opusc. de Virgin. lib. VIII:

Eulalia Emerita tollit ab urbe caput,

quam cum Barcinonensi ejusdem nominis et ætatis virgine in eadem persecutione martyrum passæ confundit Equilinus lib. I, cap. 54, Mavinæus Siculus et alii; nec mirum cum in Breviario Gothico Barcinonensi virgini attribuantur quæ Emeritensis sunt, ut pluribus disserui ad Dextr. ann. 300. Eulaliæ præstabat comitatum (verba sunt Breviarii antiqui Asturicensis Ecclesiæ) Julia convirginatis ejus, et cum iter facerent, dixit ei B. Eulalia: Notum sit tibi, domina soror, quia novissima vado, sed prior patiar. Unde in Martyrol. Bedæ, Usuardi, Adonis et Romano 10 Decemb., B. Eulaliæ socia et illi ad passionem properanti comes Individua dicitur adhæsisse; Emeritæ nempe, non Barcinonæ, ut putat Equilinus episcopus lib. I, cap. 55, et Volaterranus lib. XVI anth. emendandi ex Vasso ad ann. 306. Emeritæ etiam in Hisp. (ex Martyr. Usuardi et Rom. 23 Novemb.) passio S. Lucretiæ V. et M., quæ in persecutione Diocletiani sub Datiano præside martyrium consummarit. Nec non apud Emer. Hisp. civit. natalis S. Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio et Antinogeno diversis emunatus suppliciiis, martyrium consummarit, ut ait Ado Viennens. 24 Julii, et Rom. Martyr. Apud Thomam Trugillum tom. II Thes. Concion. et Amb. Moral. X, cap. 20. Emeritæ tribuuntur SS. MM. Hermogenes et Donatus cum aliis viginti duobus, de quibus Beda, Usuardus, Martyr. Rom. et Wandalbertus 12 Decemb. agunt. Hos in paludem profundam demersos martyrium consummasse fama est, et apud Emeritenses ipsa vulgo Martyrum vocata testatur. Non assimiliter Fides et Sabina Emeritæ passæ sunt, si Didaco Roderico de Amela seu Ferdinando Pericio de Gusman cap. 5, Tit. 3, lib. III, Valerii Scholastici et Vass. ad ann. 306 credendum est. Nec immerito iis accensemur SS. Christi martyres martyris Marcelli filios, et martyrum aliorum fratres, Servandum et Germanum Emeritæ comprehensos, et ad martyrium ductos, ut testis est Isidorus in Breviario; de quibus vid. Athanasius Lobera c. 26, part. II, rerum Legionens. Non præmittam tacitum Decianum, de quo Julianus in Chron. ad ann. 388: Celebratur adhuc memoria S. Daciani vel Deciani V. C. philosophi Stoici, civis Emeritensis; qui in adeo celebrat Martialis, passi sub Adriano Romæ cum aliis 4 die mensis Julii. Et Decianum passum Romæ eodem die testatur Martyrol. vetus et novum Rom. Ecclesiæ; et Decianum anni, tum Martiali, cui etiam alii Christiani chari eruditionis et potentie gratia fuere, ut Marcellus Eugubius, Vitalis

Pulens et Claudia, alique, uti ad Dextrum docui, A
notum est ex ipso Martiali epig. 9, 39 et 59, lib. 1 et
E lib. II. Stoicum etiam scimus ex ipso etiam epig. 39
lib. 1, cum

Magni Thræseæ consumatique Catonis,
Dogmata

Decianum sequi dicat : Emeritensem etiam vocat lib.
eod., epig. 58 :

Gaudent iocosa Canio meo Gajes
Emerita Deciano meo.

Inter purpureas martyrum laureas emicat etiam
radians corona confessorum Felicis, qui Eulalam
et Juliam in Rutiano prælio comitatus est, et Donati
presbyteri, a quo edocta Eulalia ab ejus infantia rudimen-
tis ut Christum fateretur, ut Breviaria antiqua
Palentinum et Salmantin. testantur. De his vid. Mor.
lib. 1, cap. 20; Mariet. part. 1, lib. 1, cap. 40, et
Padill. cent. IV, cap. 14. Quid plures? Plures Pau-
lo nostro debemus, quos hic non repetam. Tantum
addam, præcipuum Emeritensium erga Deiparam B
Virginem Mariam ab antiquissimis temporibus amorem
et cultum, sed verbis Juliani in Adversar : Ab Aposto-
licis temporibus maxima per Hispanias in B. Virginem
devotio et singularis amor ; quam, cum in vivis esset,
inviabant peregrini quotannis cum muneribus, erat-
que frequentissima celeberrimisque peregrinatio ex to-
tius orbis partibus ad eam. Præcipue civitates hæc mit-
tebant suos peregrinos Tarriconens, Pamplionenses,
Barcinonenses, Idienses, Casaraugustani, Bracaren-
ses, Clunienses, Asturicenses, Toletani, Emeritenses,
quibus, earumque civitatibus. Virgo sanctissima. benedi-
cens, et in suam tutelam recipiens, domum lætos et
devotos remittit.

Alios etiam bellica virtute et litterarum laude
illustres Emerita dedit, quos etsi tacitos nunc præ-
termittam,

Agit penna haut metente solvi
Fama superstes.

Inter militari gloria claros vir. illust. Claudium
ducem Emeritensem

Unum pro cunctis Fama loquatur. .

De quo plura ad cap. 19 Pauli. Inter scriptores,

Si quis Cerrope madidus, lacteque Minervæ
Artibus.

Emeritam ornat.

Dispeream si non hic Decianus erit

Ut illius amici verba usurpem epig. 40, lib. 2, a quo
inter Catullum, Maronem, Livium, Nasonem, Senecas,
Lucanum et alios scriptis insignes viros Decianus
etiam celebratur epigr. 62 ejusd. lib. Nec inferiori
gloria dignus Idacius Hisp. Episcop. cognomento et elo-
quio clarus (apud Isidor. Hispal. cap. 2. et Honorium Au-
gustuden., in quo Idacius, pro Anicio reponendus, de
Script. illustrib. Eccl. s.) qui scripsit quemdam librum
sub Apologetici specie, in quo detestanda Priscilliano-
rum dogmata et maleficiorum ejus artes libidinumque
e us probra demonstrat, ostendens Marcum quemdam
Memphiticum, magicæ artis scientissimum, discipulum
Manis fuisse et Priscilliani magistrum. Hic autem cum
Ursacio episcopo ob necem ejusdem Priscilliani, cujus
accusatores exstiterant, Ecclesiæ communionem privatus,
exilio condemnatur, ibique die ultima fungitur, Theo-
dosio majore et Valentinianno regnantibus. De eo vido
quod superius, cum de episcopis agebamus, dictum
jam est.

Eruditorum agnoscenda claudat Paulus noster, quem
primum a multis desideratum et laudatum nunc damus,
ut in eo cujus causa hoc, quidquid est, libelli impetu-
sum est, cum Deo quiescamus.

ANNO DOMINI DCX-DCXII.

GONDEMARUS,

REX GOTHORUM.

NOTITIA HISTORICA IN GONDEMARUM.

(Marianus, Hist. de Esp.)

Gondemarus, Witterico occiso, Gothorum regnum
continuo obtinuit, salutis anno sexcentesimo decimo :
an conjurationis princeps regnandi spe tantum facin-
rus suscepit ; an procerum suffragiis, cum bello
paceque prud. tia esset singulari ? Francorum viribus
a lictum arbitror (licet enim in rebus tam dubiis
hallucinari), qui Witterico infensi erant, regem
factum : argumento vectigalis annui quod Francis a
Gundemaro solvi consuevisse satis constat ex Bulga-
rani comitis, Galliam Gothicam pro rege ea ætate
gubernantis, litteris : quæ ad hanc diem Compluti et
Oveti inter veteres schedas librosque servantur. Unde
præterea intelligitur Gundemari legatos a Francorum
regibus semel violatos, sacros etiam inter gentes
barbaras. In quo, etsi commissis videbantur ut
hostium loco essent, nova missa legatione, Hispanis
oratoribus ne conveniendi quidem reges potestatem
factam. His injuriis Bulgaranus animo commotus,
Theodorici oratores aditu Hispaniæ prohibuit ; et,

cum ad bellum spectaret, correptis repente armis,
Jubinianum et Corneliacum oppida, quæ ex foedere a
Reccaredo cum Francis inito Brunehildis cesserant,
in Narbonensi Gallia, pulso Francorum præsidio, ad
Gothorum potestatem revocata. Ea ne Francorum
armis repeterentur Brunehildis morte factum arbi-
tratur non multo post consecuta, nulla ex se prole
superstite. In Hispania Gundemarus Vascones im-
perio denuo rebellantes, ducesque et copias, quibus
Romani limitis custodia in Hispania credita erat,
prospero belli eventu exagitavit, salutis anno sex-
centesimo duodecimo, Toletique ex morbo obiit.
Regnavit annum unum, menses decem, dies tredecim :
ex Hilduara uxore nullam, quodam sciat, prolem re-
liquit. Quo tempore Romanam reipublicam in
Oriente Heraclius, Phocæ successor, obtinebat. Ec-
clesiam Romanam post Gregorium, Sabinianum,
Bonifacium III, Bonifacius eo nomine IV governa-
bat ; Ecclesiam Toletanam Euphymii, Tonantii, Adel-